

Regis Castellæ, & postea ivit in agrum Regis prædicti Castellæ, & omnia depopulatus fuit; unde postea Rex Castellæ iratus cum X. millibus equitibus & XXX. millibus peditibus ivit contra Regem Granatæ, & multa Oppida cepit; unde Saraceni ne essent subiecti Christianis reassumerunt in Dominum Macometum, qui erat cum dicto Rege Castellæ, & sic dictus Rex victoriosus recessit cum exercitu suo in Sibiliam. Dicto anno quum Dominus Bernabos misisset Avinione ad Papam Legatos suos, & peteret multas res inhonestissimas, tamen interim conducebat milites, & mittebat contra Civitatem Bononiæ, ut illam omnino caperet. Dicto anno quum exercitus Societatis Albæ pluries transcurrisset per agrum Mediolani usque Papiam & circa montes cepisset aliqua Castra Domini Galeatii de Vicecomitibus, nuper cepit Castrum Novum Comitatus Tortonæ. Quare Dominus Galeatii prædictus cum quatuor millibus equitibus & quindecim millibus peditibus personaliter equitavit in reparationem & munitionem aliorum Oppidorum. Dicto anno quum exercitus Piretti Maschini, qui erat in Burgundia, destrueret omnia, Rex Franciæ conduxit exercitum Hispanorum, & antequam veniret dictus exercitus, misit exercitum suum cum quatuor millibus equitibus, & fecit Capitaneum Giache de Borbone de Domo Franciæ in Guascopia contra dictum Pitterum Maschini subiectum suum, & nesciens à quibus parentibus esset ortus. Et tandem commissa pugna exercitus Regis Franciæ fuit superatus, & omnes fuerunt capti seu mortui. Et postea de mense Junii dictus Pitterus Maschini cum suo exercitu usque ad moenia Parisius ivit, omnia depredando. Et hoc maximè fecit, quia dictus Rex Franciæ multa convicia dixerat contra eum, & terribiliter eidem minatus fuerat. Dicto anno exercitus Anichini Bongardi contra Bononienses conductus à Domino Bernabove, venit in Tusciam, ut proficisceretur in agrum Bononiensem.

Dicto anno de mense Aprilis Dominus Manruæ & Dominus Paduæ & Marchio Ferrariæ fecerunt colligationem cum Domino Egidio Legato Papæ nomine Ecclesiæ contra Dominum Bernabovem hac conventionem, quòd deberent habere ter mille equites, pro quorum stipendio Legatus haberet solvere MD. equitibus, & aliis MD. tres Domini. Et postmodum dicti Domini notificaverunt dicto Domino Bernabovi, quòd dimitteret bellum contra Ecclesiam; sed dictus Bernabos deridens & flocci faciens dictos Domini, misit vas argenteum Domino Veronæ, in quo erant sculptæ una scala & furca, & aliud misit Domino Paduæ in quo erant sculpti columbi volantes; & aliud misit Marchioni, in quo sculpta una scutica satis longa. Sic eos vilipendendo, sed ut dicitur postea præfati Domini erant prudentiores ipso. Et quum Dominus Bernabos misisset suos milites in agrum Mutinæ, milites Ligæ, qui jam erant parati, fuerunt obviam, & non valebant transire ad munjendum Castra, quæ ipse Bernabos tenebat in agro Bononiensi, & sic non poterant discurrere more solito; unde movens opinionem suam, misit ad Oratores suos, qui erant Avinione, ut concluderent pacem cum Papa, remotis illis Capitulis inhonestis, quæ petebant, de quibus supra dictum fuit, & quòd erat contentus de Civitate Bononiæ, quæ remaneret in gubernationem Florentinorum vel aliorum quibus Papa vellet committere. Et jam Papa firmasset pa-

A cem, nisi quòd factus cautus interim à Legato suo de colligatione facta cum aliis Dominis Liguriæ, & quòd non erat amplius timendum de Civitate Bononiæ; unde Papa declaravit excommunicatum dictum Dominum Bernabovem, & omnes alios, qui sibi præberent auxilium. Et etiam aliquos Ubaldinorum, qui erant cum dicto Bernabove. Fecit præterea dictus Bernabos unam bastiam prope Civitatem Mutinæ, & similiter collegati Ligæ fecerunt aliam, & uterque exercitus stabat paratus ad pugnam. Dicto anno Rex Petrus Castellæ quum recepisset Regem Verniglium cum XLIV. suis Baronibus cum fide sua publica, eos interfecit, & ex spoliis ipsorum habuit plusquam octomillia.

B Florenorum, & capita interfectorum misit ad Macometum, qui recognovit Regnum Granatæ ab eo datus ei omagium, & liberavit omnes Christianos à servitute, postquam recuperavit Regnum à dicto Rege. Dicto anno & die XXVI. mensis Maji, Rex Lothius Hierusalem & Siciliæ & Apuliæ moritur, homo non doctus & parum prudens, vacans voluptatibus, luxuriando, comedendo, & bibendo, & Regnam Johannam parum amans, eam sæpius verberando, & suos etiam consanguineos parum diligens, & timidus valde, ac virtuosos non exaltans, de se ipso de rebus vilissimis glorians cum suis adulatoribus; & intestatus eodem die sepultus fuit. Dicto anno & die XVIII. Maji, Priores Florentini congregaverunt Populum, in qua congregatione fuerunt DC. Cives, & propositis injuriis factis à Pisanis, deliberatum fuit, ut Petrabona Oppidum Pisanorum ab eis obsessum defenderetur. Et tandem dicti Pisani vi receperunt dictum Castrum, non obstantibus militibus Florentinis illuc missis pro defensione, Et non obstante etiam quòd alii Pisani responsum habuissent à Florentinis quòd nolent se impedire. Dicto anno & mense Junii, pestis fuit Bononiæ & in Casentino & Parmæ, ubi exercitus Collegatorum Liguriæ erat, & opus fuit abire, & Neapoli & etiam Pisis; Florentiæ verò parum fuit usque ad mensem Decembris. Dicto anno & die XX. Junii, quum bellum esset inceptum inter Pisanos & Florentinos, Florentini conduxerunt milites, & etiam habuerunt alios milites à Pistoriensibus, Aretinis, & Comite Ruberto; & aliis convicinis, & congregaverunt MD. equites & quinque mille pedites. Et fecerunt Capitaneum belli Dominum Bonifacium Lupum de Parma, & miserunt eum cum exercitu extra Civitatem datis sibi vexillis. Et postea iverunt Pisani, & inde in Vallem Heram, & XXVI. die dicti mensis ceperunt Giazanum Oppidum Pisanorum. Interim etiam Florentini conduxerunt Perinum Grimaldi & Bartholomæum cum IV. Galæis & duabus naviculis, & præmiserunt per totum mensem Augusti in maritima Pisana ad inferendum bellum maritimum contra dictos Pisanos. Et quum esset Genuæ Dux Dominus Simon Bocanera, amicus Pisanorum, deliberaverunt Genuenses, quòd nec Florentinis, nec Pisanis daretur ali-quod subsidium; unde Florentini non valentes conducere sagittarios Genuenses, miserunt Niciam Oppidum, & conduxerunt CCCC. sagittarios, quos misit Dominus Rogerius de Grimaldis cum duobus filiis suis Florentiam. Dicto anno & mense Junii quum Dominus Bonifacius Capitaneus belli Florentinorum esset in Giazanum Oppido Pisanorum, & nollet obtemperare Florentinis Civibus datis sibi adiutoribus & Commissariis, quidam ipsorum scripserunt Flo-

rea-